

quam formam quæ sit similitudo rei cognita. Sed animæ puerorum defunctorum in utero matris non habent aliquas formas à sensibus acceptas. Ergo saltem animæ puerorum non possunt intelligere aliquid, cum non habeant aliquas intelligibiles formas.

7. Præterea. Anima ad hoc dicitur esse corpori conjuncta, ut scientiis, & virtutibus perficiatur. Ergo antequam in corpore fuerit scientia perfecta, non potest intelligere aliquid: alias frustra corpori conjungeretur. Sed animæ parvulorum prædictorum non fuerunt aliqua scientia in corporibus perfecta. Ergo idem quod prius.

Sed contra. Philosophus dicit in II. Cœli & mundi text. xvii. quod omnis res est propter suam operationem: unde re remanente, remanet ejus operatio: & hoc est quod Damascenus dicit, Lib. II. de Fid. orthod. cap. 11. quod nulla substantia est otiosa. Si ergo anima post corpus remanet, sicut fides ponit, oportet quod aliqua ejus operatio remaneat: quia, ut dicitur in I. de Anima text. xlii. si nulla operatio animæ est ei propria sine corpore, non contingit eam separari. Sed intelligere est maxime propria ejus operatio. Ergo anima separata aliquid intelligere potest.

Præterea. Sicut dicit Avicenna in sua Metaph. tract. 111. cap. viii. immunitas à materia est causa quare aliqua substantia sit intellectiva. Sed anima separata à corpore immunitior est à materia quam corpori conjuncta: quia tunc non est actus alicujus materiæ, sicut modo est. Cum ergo anima modo intelligat, multo magis intelliget cum erit à corpore separata.

Præterea. Avicenna dicit in VI. de naturalibus, part. v. cap. 111. quod anima non indiget imaginatione, & aliis virtutibus sensibilibus, nisi in principio tantum, & non postea, nisi parum. Cum ergo proficit, & roboratur, sola per se operatur actiones suas absolute, & sic anima indiget sensibus sicut homo indiget jumento, & ejus apparatus, ut perveniat eo quo proponit; quo cum accesserit, non ejus ulterius indigebit. Ergo anima non semper indiget corpore ad intelligendum; & sic separata intelligere poterit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod ponentibus intellectum à potentiis sensitivis differre, necesse est ponere intellectum substantiam incorruptibilem esse, eo quod necesse est eum immaterialem ponere, nec à materia secundum esse dependentem. Omnem autem hujusmodi substantiam oportet incorruptibilem esse: quia materia, in quantum potest esse subjectum privationis, & formæ, est corruptionis causa in rebus materialibus. Unde dicit Philosophus in I. de Anima, text. lxxv. quod intellectus videtur esse substantia quædam, & non corrupti. Quidam vero hunc intellectum corruptibilem dixerunt non esse partem animæ humanæ, sed esse aliquam substantiam omnino à corpore separatam; animam vero humanam non dici intellectivam nisi secundum quandam participationem intellectualitatis ex refulgentia intellectus separati super ipsam: unde destructo corpore, anima humana nec remanebat, nec aliquid intelligere poterat. Sed hoc videtur esse contra intentionem Philosophi: dicit enim in II. de Anima, text. xxxi. de intellectu loquens, quod intellectus videtur esse alterum genus animæ; & hoc solum contingit separati, sicut perpetuum à corruptibili. In XII. etiam Metaph. text. xxx.

(1) Avicenna

dicit, quod anima est talis dispositionis, ut scilicet possit separari non tota, sed intellectus. Ex quo patet quod intellectum, qui est pars animæ, ponit à corpore separari: & ideo oportet animam intellectivam, quæ est anima humana, post corpus remanere, sicut fides ponit: & per consequens necesse est quod intelligat, cum intelligere sit ejus propria operatio. Sed quomodo intelligat, diversimode à quibusdam ponitur.

Quidam enim dicunt, quod anima separata à rebus cognitionem accipit, sicut & nunc facit. Sed hæc opinio videtur omnino irrationabilis: anima enim humana à corpore separata non poterit, ut sensitivis potentiis, ut supra distinct. xlv. q. 111. art. 3. q. 2. dictum est, cum harum potentiarum actus per organa corporea necesse sit exerceri: unde non erit nisi in usu potentiarum intellectivæ partis. Intellectus autem non est natus accipere cognitionem à rebus sensibilibus immediate, sed mediantibus potentiis sensitivis; cum oporteat esse quandam convenientiam inter recipientem & receptum. Species autem in sensibus existentes habent convenientiam & cum intellectu, in quantum sunt sine materia, & cum rebus materialibus, in quantum sunt cum conditionibus materiæ: unde convenienter sensus à rebus materialibus accipit, & intellectus à sensibus; non autem intellectus immediate à rebus materialibus: & ideo non potest poni quod anima separata cognitionem à rebus materialibus accipiat. Nec sufficit ponere in ea cognitionem solum quæ fuit à sensibus accepta in corpore, propter animas puerorum decedentium in matris utero, quæ à sensibus cognitionem non acceperunt.

Et ideo alii dicunt, quod sicut Angelus habet apud se formas innatas causarum ordinis universi, ita & anima à sui creatione; sed dum est in corpore, à corpore opprimitur, ut illis formis uti non possit ad intelligendum; sed utitur formis quas à sensu accipit, vel etiam ipsis formis innatis, secundum quosdam qui posuerunt, quod addiscere non est aliud quam reminisci; sed postquam à corpore fuerit separata, utitur illis formis innatis. Sed illud contradicit sententiæ Philosophi, qui dicit intellectum humanum esse sicut tabulam in qua nihil est scriptum: contradicit etiam experientiæ, qua experimur nos nihil posse intelligere, nisi ex præacceptis à sensu, ad intelligendum manuducamur. Nec esset probabile quod, cum anima naturaliter corpori uniat, totaliter impeditur per conjunctionem ad corpus, ut formis innatis uti posset. Sed hoc consonum videretur opinioni illorum qui posterunt animam ante corpus creatam, & postea corpori accidentaliter conjunctam: non enim ea quæ uni & eidem naturaliter insunt, ita se habent, quod unum eorum totaliter impediatur alterum; alias in natura aliquid esset otiosum.

Et ideo aliter dicendum est, quod anima in sui creatione nullas habet formas concretas: nec ad hoc quod post separationem à corpore intelligat, requiruntur aliquæ formæ à rebus acceptæ vel tunc, vel prius; sed intelligit de naturali cognitione loquendo, per influentiam à substantiis superioribus, Deo scilicet, vel Angelis: & loquitur de naturali influentia: & hoc sic patet. Intellectus enim noster est medius inter substantias intelligibiles & res corporales: unde anima intellectiva dicitur esse creata in orizzonte æternitatis in Libro de causis, prop. 11. & hoc ideo quia ipsa per intellectum attingit ad substantias intelligibiles; in quantum vero est actus corporis, contingit res

cor-

corporales. Omne autem medium quanto magis appropinquat uni extremorum, tanto magis recedit ab alio; & quanto magis recedit ab uno, tanto magis alteri appropinquat. Unde cum anima nostra in statu viæ maxime ad corpus accedat, utpote actus ejus existens, non habet respectum ad res intelligibiles nisi aliquo modo contingendo corpus; & propter hoc anima in statu hujus viæ non recipit influentiam à superioribus substantiis, nisi ut cognoscat sub speciebus à sensibus acceptis: unde Dionysius dicit cap. 1. cœl. Hierarch. quod non est possibile nobis in hac vita aliter superlucere divinum radium, nisi cum varietate sensibilium formarum: & ideo etiam in hac vita quanto anima magis à corpore abstrahitur, tanto magis à substantiis spiritualibus influxum cognitionis recipit: & inde est quod quædam occulta cognoscunt in dormiendo, & in excessu mentis, quando anima à corporis sensibus abstrahitur: unde cum actu erit à corpore separata, erit paratissima ad recipiendum influentiam à substantiis superioribus, scilicet Deo, vel Angelis; & sic per hujusmodi influentiam cognitionem habebit majorem, vel minorem secundum modum naturalis capacitatis ipsius animæ: & sic etiam Commentator in III. de Anima, qui ponit intellectum possibilem esse substantiam separatam, quamvis in hoc erret, tamen quantum ad hoc recte dicit quod ex hoc quod ponitur substantia separata, habet respectum ad alias substantias spirituales superiores, ut eas intelligat; sed secundum illum respectum quo comparatur ad nostrum corpus recipiendo species à phantasmatibus, non conjungitur substantiis inferioribus.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus loquitur de actu intellectus quo nunc in via intelligimus, abstrahendo à phantasmatibus: hic enim actus esse desinit, phantasmatibus destructis, in separatione animæ à corpore.

Ad secundum dicendum, quod intelligere, secundum quod (1) exit ab intellectu, non est actio communis animæ, & corpori (non enim intellectus intelligit mediante aliquo organo corporali) sed est communis animæ, & corpori ex parte objecti, in quantum intelligimus abstrahendo à phantasmatibus, quæ sunt in organo corporali: & hunc modum intelligendi anima separata non habet.

Ad tertium dicendum, quod passivus intellectus, de quo Philosophus loquitur, non est intellectus possibilis, sed ratio particularis, quæ dicitur vis cogitativa habens determinatum organum in corpore, scilicet mediam cellulam capitis, ut Comment. ibid. dicitur & sine hoc anima nihil modo intelligit, intelligit autem in futuro, quando à phantasmatibus abstrahere non indigebit.

Ad quartum dicendum, quod comparatio illa intelligitur de anima intellectiva ex parte illa qua corpori conjungitur, & non prout est intellectiva simpliciter: quia intellectus, in quantum hujusmodi, non respicit phantasmatia, sicut patet de intellectu angelico.

Ad quintum dicendum, quod anima habet esse perfectius in corpore quam separata, in quantum est forma, non autem in quantum est intellectus; nisi forte jungatur tali corpori quod est omnino animæ subditum, in nullo intellectum distrahens, sicut erit corpus gloriosum. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem: Sapientie 1x. 15.

Ad sextum dicendum, quod anima puerorum, in IV. Sent. Tom. V.

(1) Al. erit.

quamvis non habeant formas innatas, vel acquisitas, habebunt tamen aliquas formas intelligibiles ex influentia divini luminis cooperante ministerio Angelorum.

Ad septimum dicendum, quod anima ex hoc quod in corpore scientia perfecta fuit, etiam separata magis intelliget, ut infra dicitur; non tamen sequitur quod, si non fuerit in scientia perfecta, nullo modo intelligat.

ARTICULUS II.

Utrum anima per species quas nunc à corpore abstrahit, separata postmodum per eas aliquid intelligat.

I. P. q. lxxxix. art. 6. & I. 2. q. lxxvii. art. 2.

1. AD secundum sic proceditur. Videtur quod anima per species quas nunc à corpore abstrahit, separata postmodum per eas nihil intelligat. Hujusmodi enim species ejusdem rationis erunt in anima separata cujus modo sunt. Sed nunc per eas non potest anima intelligere sine phantasmatibus: quod patet ex hoc quod læso organo phantasia anima impeditur in consideratione eorum quæ prius à sensu accepit. Ergo nec anima separata per illas species intelligere poterit, cum in ea nulla phantasmata sint.

2. Præterea. Ex similibus actibus similes habitus relinquuntur. Sed habitus scientiæ nunc acquirimus ex actu intelligendi, quo anima à phantasmatibus abstrahit. Ergo habitus scientiæ acquisitæ non inclinatur nisi in similes actus. Cum ergo talis actus intelligendi non possit esse in anima separata, scilicet accipiendo à phantasmatibus, videtur quod per scientiam hic acquisitam, vel per species hic à sensibus acceptas, anima separata nihil intelligat.

3. Præterea. In operibus naturæ nihil est superfluum; nec natura facit per duo quod per unum facere potest. Sed anima separata poterit intelligere per influentiam à substantiis superioribus, ut supra dictum est. Ergo non intelliget per aliquas species à sensibus acceptas.

4. Præterea. Impossibile est duas formas ejusdem speciei esse in eodem subjecto. Sed anima separata recipit aliquas formas intelligibiles ex influentia substantiæ superioris, per quas poterit res intelligere. Ergo in ipsa non possunt remanere intelligibiles formæ earundem rerum à sensibus acceptæ.

5. Præterea. Ex hoc intellectus noster actus intelligit quod forma intelligibilis in eo existit. Ergo postquam destitit actu intelligere, forma intelligibilis in eo non remanet; & sic videtur quod non remaneant in anima separata aliquæ formæ intelligibiles à sensibus acceptæ, per quas intelligere possit.

6. Præterea. Considerare illud cujus scientiam aliquis prius accepit, videtur ad memoriam, vel reminiscentiam pertinere. Sed destructo corpore, anima non reminiscitur, ut dicit Philosophus in I. & III. de Anima. Anima ergo separata non intelligit per species in hac vita à sensibus acceptas.

Sed contra est quod Philosophus dicit, quod anima est locus specierum: & loquitur de parte intellectiva. Sed locus conservat locatum. Ergo species à sensibus acceptæ in intellectiva conservantur; & sic videtur quod per eas possit intelligere anima separata.

Ccc

à corpore, sicut & nunc potest.

Præterea. Finis remanet remotis etiam his quæ sunt ad finem. Sed sensus ordinatur ad cognitionem animæ intellectivæ sicut ad finem, in quantum ex sensibus cognitionem accipit. Ergo cognitio quam anima accipit à sensibus, remanet in ea etiam destructis sensibus corporis; quod erit cum anima fuerit a corpore separata.

Præterea. Quod recipitur in aliquo, recipitur in eo per modum recipientis. Sed anima est incorruptibilis, & perpetua. Ergo quod in ea recipitur, recipitur ut perpetuo conservabile in ipsa: ergo species intelligibiles quas à sensibus accipit, remanent in ea post separationem à corpore. Frustra autem remanerent, nisi per eas intelligeret formas prius à sensibus acceptas.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hoc duplex est opinio.

Una occasionatur ex opinione Avicennæ, Lib. VI. natural. part. v. cap. xv. qui dicit, quod intellectus noster possibilis non servat aliquas formas postquam actu intelligere desinit: quia formæ intelligibiles non possunt esse in intellectu possibili, nisi ut in vi apprehendente. Non enim utitur organo corporali, ut ex parte ejus possit aliquid esse in intellectu non ut in apprehendente actu; per quem modum aliquid est in potentia sensitivæ partis, quæ potentia thesauri dicuntur, sicut memoria, & imago; sed intellectus possibilis, cum convertit se ad intelligentiam agentem, quam ponit separatam, accipit species intelligibiles ex influentia ejus, cujus est formas à phantasmatibus abstrahere, & ponere eas in intellectu possibili; & cum desinit se convertere ad intellectum agentem, formæ illæ desinunt esse in eo; sicut forma visibilis desinit esse in oculo, cum oculus desinit se convertere ad rem visam. Oportet autem, ut si iterum velit intellectus possibilis considerare quod prius consideravit, de novo se convertat ad intellectum agentem, & de novo species intelligibiles recipiat: & secundum hoc quidam eum sequentes dicunt, quod in anima nostra nullæ species intelligibiles reservantur, quibus possit post mortem uti ad intelligendum; & sic etiam dicunt, quod scientia hic acquisita nullo modo manet neque quantum ad actum, neque quantum ad habitum. Sed hæc opinio non videtur esse conveniens. Primo, quia contrariatur manifeste sententiæ Philosophi, qui ponit animam esse locum specierum: unde oportet, quod species in illa conserventur. Secundo, quia ex quo species in intellectu possibilem imprimuntur, non est probabile eas aboleri, nisi aliqua causa corrumpens eas fuerit; cum multo nobilior recipiantur formæ intelligibiles in intellectu possibili quam formæ sensibiles in materia prima. Tertio, quia Augustinus Lib. XIV. de Trinit. cap. xii. ponit partem mentis esse memoriam; & sic in ea species intelligibiles reservantur. Quarto, quia dato quod nullæ species intelligibiles remanerent in anima separata, non propter hoc tolleretur quin habitus scientiæ remaneret etiam secundum prædictam opinionem Avicennæ. Vult enim quod quamvis species intelligibiles non remaneant in intellectu possibili, cum actu non intelligit, remanet tamen in eo quedam habitatio, ut facilius se convertat ad recipiendum species intelligibiles ab intellectu agente, ratione ejus non oportet quod semper aliquis ita laboret ad aliquid intelligendum, sicut cum de novo didicit, vel invenit; & habitus hæc nihil aliud est quam habitus scientiæ. Unde etiam in anima separata hujusmodi habitus re-

manebit, ut scilicet paratior sit ad recipiendum cognitionem ex influentia superioris substantiæ anima quæ habitu scientiæ in hoc mundo fuit perfecta, quam alia quæ hujusmodi habitu caruit.

Et ideo ponendum secundum alios videtur, quod species intelligibiles remanent in anima postquam actu intelligere desierit, & etiam major habitus ad recipiendum ab intellectu agente; & quod utrumque eorum remanebit in anima separata, & utroque uti poterit in intelligendo: alio tamen modo eis utitur cum est corpori conjuncta. Cum enim est conjuncta corpori, ejus intellectus non potest aliquid considerare nec per species acquisitas, nec per aliquem influxum superioris substantiæ, nisi convertendo se ad phantasmata: quia propter perfectam conjunctionem ejus ad corpus potentia intellectiva ejus nihil cognoscit nisi per ea quæ per corpus recipiuntur, unde habet phantasmata quasi objecta ad quæ respicit; sed cum erit à corpore separata, intelliget per alium modum, ut supra dictum est, scilicet non aspiciendo ad phantasmata.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis species intelligibiles, per se loquendo, sint ejusdem rationis dum sunt in anima conjuncta corpori, & cum sunt in anima separata; tamen per accidens sunt rationis diversæ, in quantum anima in qua sunt, diversimode se habet in conjunctione ad materiam, vel separationem ab ea: & ideo per species illas anima conjuncta non intelligit nisi convertendo se ad phantasmata; sed cum fuerit separata, intelliget per eas etiam sine tali conversione.

Ad secundum dicendum, quod actus non specificantur à termino à quo, sed magis à termino ad quem: unde idem specie motus est dealbatio, sive per eam aliquis fiat de nigro albus, sive de rubeo albus. Unde & intelligere non diversificatur specie per hoc quod intelligitur abstrahendo à phantasmatibus, vel non abstrahendo, dummodo sit unius modi quod intelligitur, & quo intelligitur: & propterea habitus scientiæ, qui acquiritur ex actibus intellectus accipientis à phantasmate, inclinat in actum intelligendi quo phantasmata non respicit. Et præterea intelligere nostrum secundum statum istum est secundum phantasmata illustrata lumine intellectus agentis: unde est unius rationis cum cognitione animæ separata, quæ est per influentiam luminis à superiori substantia, quantum ad ipsam illustrationem, quamvis non quantum ad phantasmata.

Ad tertium dicendum, quod ex ipsis speciebus intelligibilibus præexistentibus in intellectu possibili efficitur intellectus possibilis paratior ad perfectius recipiendum cognitionem ex influentia superioris substantiæ: unde non sequitur quod frustra hujusmodi species in anima separata remaneant ad intelligendum per eas.

Ad quartum dicendum, quod formæ intelligibiles à sensibus acceptæ non sunt omnino unius rationis cum illis formis quæ immediate ex influentia divina proveniunt: quia ex diversis imprimendis diversæ impressiones relinquuntur: sic etiam & habitus virtutis acquisitæ non est ejusdem rationis cum habitu virtutis infusæ. Unde nihil prohibet utrasque formas in anima separata remanere, & formas illas tunc acceptas ex influxu superioris substantiæ esse formales, & completivas respectu formarum acquisitarum à sensibus.

Ad quintum dicendum, quod in intellectu nostro remanent formæ intelligibiles, etiam postquam actu intelligere desinit: nec in hoc opinionem Avicennæ

SOLUTIO.

cennæ sequimur. Remanent autem hujusmodi formæ intelligibiles in intellectu possibili, cum actu non intelligit, non sicut in actu completo, sed in actu medio inter potentiam puram & actum perfectum; sicut etiam forma quæ est in fieri, hoc modo se habet.

Ad sextum dicendum, quod Philosophus loquitur de memoria, & reminiscencia quæ est pars animæ sensitivæ, cujus actus corruptio corpore non potest remanere: & hac indigemus ad intelligendum ad præsens ea quæ prius intelleximus: propter hoc oportet nos ad phantasmata converti, quæ quandoque oportet de thesauro memoriæ adduci; sed memoria prout ab Augustino ponitur in mente, remanebit in anima post mortem.

ARTICULUS III.

Utrum anima separata singularia cognoscat.

I. par. quest. lxxxix. art. 4. & de ver. quest. xix. art. 4.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod anima separata singularia non cognoscat. Anima enim separata non utitur potentia sensitivæ. Sed singularia non cognoscuntur ab anima nisi per potentias sensitivas: singularia est enim aliquid, dum sentitur, ut Boetius dicit in prædic. substantiæ, in princ. Ergo anima separata singularia non cognoscat.

2. Præterea. Intellectus animæ separatae magis erit à materia remotus quam intellectus animæ conjunctæ corpori. Sed anima conjuncta corpori non potest intellectu cognoscere singularia propter intellectus immaterialitatem. Ergo nec cum est à corpore separata.

3. Præterea. Differentia hic ponitur præcipue inter sensum & intellectum, eo quod sensus cognoscit hic & nunc, intellectus autem abstrahit ab utroque. Si ergo intellectus animæ separatae possit singularia cognoscere in nullo ejus cognitio à sensu differet; quod est inconveniens.

4. Præterea. Sicut in statu viæ per sensum particularia cognoscimus, ita per intellectum universalia. Sed sensus numquam potest devenire ad hoc quod universalia cognoscat. Ergo nec intellectus ad hoc quod cognoscat singularia.

5. Præterea. Eadem est natura animæ separatae, & corpori conjunctæ. Sed per naturam intellectivæ animæ, formæ quæ in intellectu recipiuntur, dum corpori est conjuncta, non ducunt in cognitionem singularium, sunt enim in ea per modum ipsius. Ergo eodem modo erunt in ipsa postquam fuerit à carne separata; & sic non ducunt in singularium cognitionem.

1. Sed contra. Luc. xvi. 28. dicitur quod dives in inferno existens secundum animam tantum dixit: *Habeo enim quinque fratres.* Ergo &c. ex quo patet quod singularia cognoscunt animæ separatae.

2. Præterea. Intellectus animæ corpori conjunctæ singularia cognoscit; quod patet ex hoc quod propositionem format, cujus prædicatum est universale, & subjectum singulare; & syllogismum componit, cujus minor est singularis. Ergo etiam à corpore separata anima per intellectum singularia cognoscat.

3. Præterea. Nullus potest disponere de his quæ ignorat. Sed anima in corpore existens per intellectum disponit de his quæ circa singularia sunt agenda. Ergo etiam in corpore existens singularia cognoscit per intellectum. Cum ergo intellectus in anima separata integer maneat, videtur quod anima separata singularia cognoscat.

In IV. Sent. Tom. V.

Respondeo dicendum, quod cum omnis cognitio sit per formas, quibus cognoscens rebus cognitis assimilatur, duplex erit cognoscendi modus: unus per formas à rebus acceptas; alius per formas quæ sunt causæ rerum, vel à causis rerum acceptæ. Ad hoc enim quod aliqua duo sint similia, oportet unum esse causam alterius, vel ambo sub eadem causa procedere, cum unitas effectus causæ indicet unitatem. In illa ergo cognitione quæ fit per formas à rebus acceptas, ipsæ res per suam actionem sunt cognitionis causa. Cum ergo omnis actio sit per formam, forma autem quantum est de se sit universalis; per talem modum non potest devenire in cognitionem rerum singularium: quia per hunc modum non cognoscitur materia, quæ est individuationis principium, nisi in universali, in quantum scilicet habet habitudinem ad formam universalem, sicut qui cognoscit simum, cognoscit nasum in quantum est subjectum simi; nisi quando formæ individualiter recipiuntur in cognoscente, ut sunt in rebus extra animam, sicut accidit in potentia cognoscitivæ per organum corporale. Sed in illa cognitione quæ est per formas quæ sunt rerum causæ, vel earum impressiones, pervenitur usque ad singularia, quamvis hujusmodi formæ sunt omnino immateriales, eo quod causa rei prima est quæ rebus esse influit: esse autem communiter materiam, & formam respicit. Unde hujusmodi formæ ducunt directe in cognitionem utriusque, scilicet materiæ, & formæ; & propter hoc per talem cognitionem cognoscuntur res & in universali, & in singulari. Anima ergo, cum est corpori conjuncta, non cognoscit nisi per formas à rebus acceptas: & ideo per potentiam illam cognoscitivam in qua formæ à rebus omnino immaterialiter recipiuntur, directe singularia non cognoscit; sed solummodo per potentias organici affixas; sed indirecte, & per quamdam reflexionem etiam per intellectum, qui organo non utitur, cognoscit singularia, prout scilicet ex objecto proprio redit ad cognoscendum suum actum, ex quo actu redit in speciem, quæ est intelligendi principium, & ex ea procedit ad considerandum phantasma, à quo species hujusmodi est abstracta: & sic per phantasma singulare cognoscit. Anima vero separata utitur utraque cognitione: quia & cognoscit per species acceptas à sensibus, & per species receptas à superioribus substantiis, quæ species sunt causarum impressiones, id est rationum idealium in Deo existentium; & ideo secundum illum modum quo cognoscit per species à sensibus acceptas, singularia directe non cognoscit; sed per illum modum quo cognoscit ex influentia superioris substantiæ, cognoscere potest singularia eadem ratione qua & Angeli, de quorum cognitione dictum est II. Lib. dist. 111. quest. 11. per totam.

Ad primum ergo dicendum, quod anima in statu viæ non cognoscit singularia directe, nisi per potentias sensitivas, quia non cognoscit nisi per formas à rebus acceptas; quæ cum ad intellectum pervenerint, in quo omnino immaterialiter recipiuntur, non possunt esse principium cognoscendi singulare: sed cum fuerit à corpore separata, habebit alium modum cognoscendi, quo singularia cognoscere poterit, ut dictum est in corp. art.

Ad secundum dicendum, quod ex hoc ipso quod anima separata est quodammodo immaterialior quam corpori conjuncta, est propinquo substantiis supe-